



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvvm Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

VII. Quæst. An beneficia electiua per Concordata reseruentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

deuolutionem fieri de Supremo ad Inferiorem: ita videlicet, ut si intra tres menses non apparuerit de prouisione Apostolica, Ordinarius ad collationem procedere valeat, per textum in §. Quotiens: Quotiens uero aliquo vacante beneficio in Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septemb. & Nouemb. &c. non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quo alicui de illo Apostolica autoritate prouisum fuerit, ex tunc, & non antea, Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponere poterit. Sed, & hic notabiliter obseruandum erit, per hoc concurrentiam non excludi. Unde si casus eueniret, quod Pontifex, siue post tres menses in iam dictis mensibus, Ordinariis conferret beneficium, & collationis dies esset prior collatione Ordinarii, non est dubium, quin à Pontifice prouisus, prouisum ab ordinario rectè excludat. Papa enim cum omnibus Ordinariis concurrat, ut patet ex Responso Mando-fu infra notab. 1.

QVAESTIO VII.

An in mensibus reseruatis, Decanatus & similia beneficia alijs electiua vacantia extra Curiam, sint affecta & de Pontificis collatione?

HAEC quæstio quoniam satis fuit ventilata per decisionem in Rota, proponente R. P. D. Bubalo, in casu preposituræ Paderbornen. & conclusum pro affirmatiua, quod uidelicet Pontifex talia, etiam Electiua inferiora beneficia conferre habeat, ideo eidem insistentes, hoc solum addimus cum Illustrissimo Cardinale Simonetta in tract. de Reser. qu. 39. quod qui procedunt ad electiones non obstantibus reseruationibus sunt in latissima culpa, & non sine dolo, dum rei ad alium pertinentem se immiscerent. I. querebatur C. Vnde

2. vi. Quod est notandum contra Capitula,

quæ eligunt Decanum in Episcopum, & ab eo post electionem recipiunt renunciationem Decanatus, & eligunt alium Decanum. Nam reuera electio talis Decani est nulla, & Decanatus manet Pontifici reseruatus, & possessio talis Decani dicitur vitiosa, Regid. decis. 498. cum infra tempus electionis, & confirmationis, confirmandus resignare minimè possit, tum per claram Reg. Cancell. infra not. quarto postquam, tum ex verbis constitutionis ad Regimen, Concordatis incorporate, ut supra in text. ibi. R. v. s. Monasteria. & c. Decanatus. & c. etiam si ad illa personæ consueuerint per electionem assumi, quæ promoti per nos, seu autoritate nostra & c. obtinebant tempore promotionum. Sed de hoc puncto latius infra q. 9.

QVAESTIO VIII.

An Pontifex valeat derogare Concordatis.

IN hac quæstione non est multum laborandum, qui enim agnoscit Pontificem esse Summum Christi Vicarium, & iure diuino habere dispensationem, & plenissimam administrationem omnium bonorum, ad quascunque Ecclesias pertinentium, c. proponit, de con. preb. Clem. 1. ut lit. pend. Bald. in l. Rescripta. C. de pre. Imp. offer. is non dubitabit Sanctitatem suam, ex plenitudine potestatis, posse in totum, vel pro parte, tollere Concordata. Nam dum Concordata dicuntur habere vim contractus, ex Puteo, decis. 47. intelligendum est ex parte Germanorum, quod uidelicet illi non solum ex iure diuino uti Christiani sint obligati ad parendum Romano Pontifici circa reseruaciones, sed etiam ex speciali Concordia, quasi in vim contractæ pacificationis inita, ut in omni iudicio Germani Sedi Apostolicæ rebelles minus forent excusabiles, si obedientiæ suaui iugo excusso etiam pacta firmata violare præsumerent: Ex parte autem Pontificis, Concordata in fauorem Germanorum ad-

V V u u u 2